

DIALOGUS XXXIX.

De Deabus Ultricibus, Nemefi, ac Furiis.

PUBLIUS.

Rursum peregrinus admodum est Numi tui Decimi I. septimi typus : in quo curru, duobus a gryphibus tra- Tab.VII. & o, foeminae duae insistant, quarum utraque modium in N.XVII. capite gestat : amba cubito elato digitum quasi admovent ori : anterior sceptrum gestat, posteriore gryphum lora regente. Epigraphae : *CPA. ΠΟ. ΑΙΑ. ΑΡΙΖΗΛΟΥ.* Infra : *ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ.* Haec ut exponas, te oro. *TULL.* Ita intellige : Praetore Publio Aelio Arizelo Smyrneorum. Est hic Numus aëris magni, cum Commodi Gotli. vultu adhuc imberbi apud Liebe, Dextrae hic comparentes, sunt Num. p. *Nemeses.* Unica quidem frequentius occurrit in Numis : quorum tres 282. Græcos, videlicet *Byzantinorum*, *Sidetum*, & *Samiarum*, proposuit Celeberr. *Montfalconius* Tom. I. p. II. Tab. 195. ubi huic Deae rota semper ad pedes adjuncta.

Volebant nonnulli *Nemesin* fuisse *Laudam*, ex *Jove* geminorum II. *Dioscurorum Castoris & Pollucis* Matrem, vero Nomine *Mnesinoen*, quod Interpretes *Nemesin* verterit. Alioquin Mythologi sub hac Ammia. Dea, vel unica, vel gemina, vel multiplici acceperunt Filiam, Marcel- aut Ministram Justitiæ Deorum : quæ omnium hominum actus ubivis lin. L. locorum specularetur, qualesque forent, semper Diis referret. XIV. Quocirca sapius etiam alata pingebatur, & ubique fere cum rota, celeritatis indicandæ causa, qua terram omnem perpetuo circumiret. Elato brachio, ac digito fronti velut admoto, juxta vetus Epigramma græcum, latine conversum, admonuit omnes, pru-

prudenter agerent, ac meditato, cauteque ne Deorum in iram, vindictamque inciderent:

An tho-
log. L.
IV. cap.
4. epigr.
73.

Nemesis cubitum teneo. Cujus causa, dices?
Omnibus annuncio, ne quid nimis.

A celebri Templo ejusdem apud *Rhamnium* in Attica, rhamnii, i. e. rubis frequentem, tulit nomen *Rhamnusia*, & quantum ob scelerum ultionem timebatur, tantum & culta fuit.

III.

PUBL. Liqueat plane, cæcis quoque idololatris fere omnia Disciplina Christiana capita suo ad minus modo innotuisse, Natura magistra, quam Deus, Conditor universorum, unicuique intra se ipsum constituit, cujusque doctrinam salutarem Ratio, quantumlibet cupiditatibus, affectibus, & voluptatibus vitæ obfuscata, lumine saltem nonnullo vel invita cogebatur agnoscere. Quid enim *Fati*, quid *Nemesis*, quid *Furiarum*, quas insequens Numus ostendit, fabulosa imagines, nisi publica confessio, esse Numen, quod regat mundum potentia, sub qua omnes curventur? Esse Dominum, cujus oculi in omni loco speculentur bonos, & malos? Esse bonorum pramiatorem, & malorum Vindicem, cujus prima in malefactores ultio, ante ceteras penas, remordens conscientia, quæ plus facibus, pugionibus, anguibus exagitet, urat, ac torqueat? *TULL.* Probe advertis: e quibus intelligis quoque, veram, puramque Religionem, cum homine natam, etiam in media nocte idololatriæ, luculenta tamen sui vestigia perpetuo reliquisse. Id quod necesse fuit ad locum Evangelicæ luci aliquando faciendum. Neque enim humanæ menti Fides illa unquam persuaderi potuisset, quæ non, majori quodammodo ex parte sua, ipsius Naturæ legibus, dictamini Rationis, & usui Vitæ consona deprehenderetur.

IV.

Tab. VII.
n. XVIII.

PUBL. Terribiles visu formas pinxisti Numo Decimo octavo, Fœminas tres, omnes modium, aut calathum in capite gestantes, ac vestitas: e quibus media spectat antrorsum, utraque manu extenta facem deferens: duæ reliquæ, tergo sibi impositæ sunt, earumque dextra serpentes, lava pugiones ambabus mani-
bus

bus gestat. Ad pedes earum hinc & inde geminæ tigrides adstant. Epigraphe: ANTIOXEON: i. e. *Antiochensum*. TULL. Edidere hunc æris medii Numum incertæ *Antiochia* cives cum Capite Philippi junioris in Adversa, vulgatum a Patino p. 309. *Eurias* exhibet, etiam dictas *Frynnes*: quarum propria nomina fingebantur *Alecto*, *Megea*, *Tissiphone*. Censebantur infernales Deæ, Noctis & Erebi filix, scelerum ultrices: quamquam non deforent, qui easdem in cælo, Jovique proximas locarent, ut semper ad plectendum præsto essent. Unde *Servius* ajebat, easdem in Cælo *Diras*, in terris *Furias*, apud inferos *Eumenides* appellatas esse.

Aeneid.
L. IV. ad
vers. 610-
V.

Quantumlibet horribiles, ob ipsum tamen metum colebantur. Romana namque superstitione, quæ unamquamque aut bene, aut male faciendi potestatem in aliud Numen refundebat, bonos Deos invocans, ut faverent, malos placans, ut parcerent. Vidisti in Exercitat. Procem. Tab. IV. n. 2. ac 3. *Pavorem*, ac *Pallorem*, sane lepidos Deos. *Plinius* dudum irrisit, vel planxit potius:

Libr. II.
c. 7.

„ Quod fragilis, & laboriosa Mortalitas Divinitatem in partibus ita digesserit, infirmitatis suæ memor (i. e. ad suæ imperfectionis modum de Deo cogitans) ut portionibus coleret quisque, quo maxime indigeret: ac proinde morbis quoque, & multis etiam pestibus, dum esse placatas trepido metu cupimus, Numen dari. *Febri* Fanum in Palatio dicatum: *Orbonæ*, i. e. Orbitati, vel indigentix cujuslibet rei, ad Aedem Larium, & *Mala Fortuna* Aram in Exquilis positam esse.

VI.

Porro D. *Pluche*, & *Eurias* pariter, & *Parcas*, vitæ stamina pro hominibus texentes, deprehendit in Signis *Isidis* Aegyptiæ: cujus addita symbola haud amplius intellecta, uti & Nomina, in oppositum, & absonum plane sensum detorquebantur. Hujus quippe imagines expositæ mensibus Autumnii, quibus torcularia fervebant in exprimendis uvis, pomis, olivis, quibus potus, & opportunissima vitæ subsidia parabantur, non erant absque serpentibus, consuetis vitæ symbolis. Addebantur faces, tum a populo comportandæ ob dierum brevitatem. Item, hastæ, pugiones, enses Venationum tunc faciendarum causa. Vide supellectilem terribilem *Furiarum*: quæ dum in Numo præsentem modios capitibus gestant, more *Isidis*, Aegyptiæ, documenta suæ originis pu-

Libr. I.
Cap. II.
§. 29.

publice præferunt. Consonant & Nomina in radice vestigata, licet prorsus inconcinne ab ignavis veræ notionis adhibita. A *fur* enim, aut *furim*, i. e. *torcular*, indubie Nomen *Eurie*. Item ab *Aman*, h. e. *nutrire*, vel *omenoth*, i. e. *Nutrix* profecta est vox *Eumenis*. Probe notiones istæ quadrabant in *Iside* Aegyptiam Aurnalem: *Diris* vero Græcis, ac Romanis, ut *Oriens occidenti*, vel *Cœlum Orco* congruebant.

VII.

Isides mensium hyemalium, quibus omnis labor impensus est in *Linum*, rite in *fila* ducendum, convolvendum, texendumque, propositæ sunt cum *colo*, *fuso* *stamine*, *forfice*, *licatorio* *textorio* & appellabantur *Park*, aut *Paraket*, quæ nomina *telam*, *velum*, *carbasa* indicant. Ab his ansam capiebant fabulatores, cogitandi de *staminum* *vitæ humanæ* *textricibus*, quibus Nomina finxere, *Cloto*, *Lachesis*, *Atropos*, eisque *Fatum*, ac *Necessitatem* Parentes comminiscabantur. Commune vero his tribus Nomen *Parcarum* dederunt, ignorata radice antiqua, illud a *parcendo* deducentes, quod hæc *Dæx* nemini parcerent.

VIII.

PUBL. Oppido me tibi divinxisti, quod per omnes hos *Dialogos* *planam* *simul*, ac *peracutam* *D. Pluche* *Philosophiam* de *Diis*, ac *Deabus*, *mecum* *compendio* *communicaveris*, *suo* *quolibet* *loco*, *ubi* *peculiariter* *attineret*, *inspergens*. *Cujus* *cum* *nactus* *fuero* *Historiam* *Cæli*, *prævie* *per* *te* *comparatus*, *haud* *sine* *uberi* *fructu* *eandem* *evolvam*, *plurimis* *que* *de* *Mythologia* *Veterum* *præjudiciis* *expediar*. *In* *qua* *vulgo* *nescio* *quantus* *recondita* *Sapientia* *thesaurus* *delitescere* *censetur*, *adeo*, *ut* *qui* *ex* *eo* *non* *ditescit*, *a* *Republica* *eruditorum* *longe* *sit* *arcessendus*: *cum* *interim* *plerumque* *nil* *nisi* *nugas* *nugarum* *contineat*, *si* *veri* *rationem* *habuerimus*.

IX.

TULL. Est utique *sua* *Doctis* *pariter* *persepe* *quasi* *superstitio*, & *multiplex* *error* *pervagatus*: *qui* *callum* *inde* *obduxit*, *quod* *infiniti* *ad* *paucos*, *nisi* *plane* *ad* *unum* *adhærerent*, & *scrutinio* *Rationis* *omisso*, *cæco* *velut* *ingenio* *nudam* *authoritatem* *sequerentur*. *Inde* *vero* *quanta* *injuriam* *fiat* *Rationi*, *quantum* *Damni*, & *in* *mentes* *hominum*, & *ipsas* *in* *disciplinas*, *natura* *optimas*, *natasque* *ad* *veritatem* *instillandam*, *redundet*, *haud* *facile* *dicas*, & *satis* *non* *desleas*.

DIA-